



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

35. An cùm Sacerdotis ordinantur, & cum Episcopo consecrant, possit unusquisque applicare illud sacrisicium cui voluerit? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. res. 112. ibid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

alium, dato illi stipendio communi, quod exiguum est, & non materia grauis iustitia. Nemo autem grauius peccat, quam sit grauitas obligationis, qua tenetur: Ergo si solum tenetur ad id, quod in se leue est, non potest committere culpam grauem.

6. Respondeo posse contingere vt quis efficiendo rem, quae in se non est materia grauis, excuset culpam grauem, quam non excusaret, si rem illam alioqui leuem non faceret, v.g. si quis dat Petro aliquid pretio graui aestimabile sub conditione leui eundi ad talem, aut talem locum, aut faciendi aliquid quod leue est, & ille accipiat sub ea conditione, quamuis facere illud, leuis res sit: si tamen non faciat, & retineat quod datum illi fuit, erit retentor rei graui sub titulo, tenebiturque rem acceptam restituere sub mortali: grauitas enim non pensanda est ex parte conditionis non impletæ, sed ex parte rei acceptæ, & retentæ sine titulo: quia illi data non fuit, nisi dependenter à tali conditione quantumuis leui: quia deficiente, deficiet etiã titulus donationis, per quam transferabatur dominium. Sic ergo in nostro casu, quamuis dicere sacrum in se non sit materia grauis, nihilominus grauis materia pecuniæ data Sacerdoti sub ea conditione dicendi Sacrum, retinetur sine titulo, eo ipso quod Sacerdos non dicatur; ac proinde grauitas materiæ non pensanda est ex parte conditionis, quæ non impletur; sed ex parte pecuniæ quæ retinetur, & data non fuit, nisi sub conditione illa, quantumuis leui, aut dependenter ab illa conditione; ita vt, si non impletur conditio, resultet obligatio restituendi totam illam grauem pecuniam, quæ obligatio est iustitiæ, & sub mortali. Hucusque Dicastillus doctè, & solide vt semper solet.

7. Vnde ex his patet responsio ad instantiam adductam pro negatiua sententia; nam in illo casu supponitur stipendium Missæ non esse sufficiens ex iustitia ad mortale.

8. Nota verò: Sacerdotem, qui liberaliter promittit alicui vnum Sacrum animo se obligandi, si promissum non impleat, non peccare mortaliter tenebre me citato Leandrus de Sacram. tom. 2. tr. 8. disp. 4. quæst. 16. qui etiam q. 14. docet me citato pluribus peccatis sine stipendio posse vna Missa satisfacere, quod tenet etiam Martinus de San Ioseph, in mon. Confess. tom. 1. lib. 1. ar. 17. de Eucharistia, n. 4. Escobar in Theolog. or. tract. 1. exam. 11. cap. 4. n. 96. infine. Lezana in Q. Regul. tom. 4. verb. Missa, n. 22. Dicastillus vbi sup. dub. 19. n. 364. quia cum Missæ Sacrificium sit infiniti valoris, æqualiterque proficit omnibus secundum cuiuslibet deuotionem, nec vnus ex participatione alterius in re minima lædatur; hinc est, quod qui dedit stipendium, vt pro illo offerretur, non debet esse rationabiliter inuitus, vt pro aliis idem Sacrificium ex charitate offeratur. Vnde ex his inferitur, quod Religiosi, qui ex vi suæ Regulæ, & Constitutionum, tenentur certis diebus offerre Sacrificium pro defunctis sui ordinis, pro Capitulis, & Benefactoribus, possunt licitè offerre idem Sacrificium pro aliis, à quibus stipem acceperunt; quia Sacerdoti solum prohibetur offerre idem Sacrificium pro multis, quibus ex iustitia, ratione stipendij accepti, tenetur, non verò prohibetur offerre pro vno ex iustitia, & simul offerre pro alio, ex sola liberalitate, vel charitate. Hoc enim ipsa Ecclesia aliquo modo præsupponit: siquidem idem Sacrificium, quod in memento pro viuus, obtuli pro Petro, qui ad celebrandum pro eo me conduxit; simul etiam pro defunctis, in memento pro mortuis, præcepit offerre: ergo.

His tamen non obstantibus, non nego contrariam sententiam esse probabilem: quam tuetur nouissimè Bossius de conscient. so. 1. p. 1. tit. 1. §. 401. cum seqq. cum Tamb. opusc. 3. de sacrif. Missæ, lib. 3. c. 1. §. 3. n. 9. & seqq.

RESOL. XXXIV.

An sacerdos diebus festiuis possit accipere pro vna Missa duplicatum stipendium? Ex p. 2. tr. 14. Ref. 9.

§. 1. Affirmatiuè respondet Homobon. de Bonis in exam. Eccl. p. 1. tr. 4. c. 13. q. 120. & in hac opinione videtur inclinare Bonacina de Sacram. disp. 4. q. vlt. punct. 3. n. 121. Et ita determinauit Congregatio Penitentiariæ Mediolanens. in summario, decis. 7. quam inuenies apud Fraxinell. de oblig. Sacerd. post sct. 5. fol. mibi 101. Sed hæc opinio damnatur in decreto Cardinalium, in §. 3.

RESOL. XXXV.

An, cum Sacerdotes ordinantur, & cum Episcopo consecrant, possit vnusquisque applicare illud sacrificium cui voluerit? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 112.

§. 1. Causus est curiosus, & ad illum respondet Ludou. Maratus in D.T. hom. tom. 3. tract. de Sacram. Eucharist. disp. 38. sct. 8. n. 4. vbi sic ait: Dum plures Sacerdotes simul consecrant, & consecrando simul vnum, idemque sacrificium Missæ offerunt, ad eorum quemlibet perinde pertinere illius applicationem, atque si solus offerret, quia quilibet est illius totius vera causa per se independenter ab alio, vnde & potest independenter ab alterius voluntate illud integrè cui voluerit applicare, quod sic à singulis applicatum diuersis personis, proderit omnibus, quibus applicabitur, quia prodesse deest alicui; nulla autem ratio est, cur vni potius, quam alteri proficit. Sic ille.

Sup. hoc inf. in Resol. 46. prope finem, à vers. Nota hic, & in Resol. 147. §. Nota hic, & pro omni contento in hac Resol. melius in to. 4. tr. 8. Ref. 92.

RESOL. XXXVI.

An Sacrificium Missæ pro pluribus oblatum proficit singulis, ac si pro vno tantum offerretur? Et notatur primò, Sacerdotem vna Missa satisfacere pluribus peccatis vnã Missam, dummodo ab illis non sit acceptum stipendium. Secundo, eodem sacrificio satisfacere, & pro voto, & pro eo, qui elemosinam ad faciendum Sacrum dedit. Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 81.

§. 1. Negatiuè respondet Præpositus in 3. part. D.T. hom. quæst. 83. art. 1. dub. 7. Henriquez lib. 9. cap. 17. num. 5. Mercerus de sacram. q. 83. art. 1. dub. 7. Azorius p. 1. lib. 10. c. 21. quæst. 2. Sotus de Inst. lib. 9. quæst. 2. art. 2. Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 79. sct. 12. Coninck de sacram. quæst. 83. art. 1. dub. 3. & alij penes ipsos.

2. Sed affirmatiuam sententiam docet ex Thomistis Caietanus in 3. part. q. 79. art. 5. & Petrus Soto de Euchar. lect. 7. ex Theologis Societ. Iesu, Valquez in 3. part. tom. 3. disp. 231. & Gaspar Hurtadus de sacr. disp. 3. de sacrificio Missæ, diff. 8. Idem etiam tenet Petrus Nauarra de restitut. lib. 2. cap. 2. n. 268. Corduba lib. 1. q. 3. & alij penes ipsos.

Pro hac questione lege doctrinam §. vlt. Ref. seq. & ex Resol. 33. §. Nota verò, post medium, à vers. Vnde ex his, &c.

3. Notandum est tamen quod si quis in secunda sententia stare vellet, duo notabilia corollaria ex ea posset inferre. Primum, Sacerdotem vna missa satisfacere pluribus peccatis vnã Missam, dummodo ab illis non sit acceptum stipendium, & ita docet Hurtadus vbi sup. diff. 15. Secundum, eodem sacrificio satisfacere & proprio voto, & pro eo qui elemosinam ad faciendum sacrum dedit.

Sup. hoc supra in R. l. 33. §. Nota verò, & in aliis eius, not. sctidæ.